

137

IMPERATOR CÆSAR
MATTHIAS
PIVS. FELIX. AVGVSTVS.
REX GERMANIÆ.
HVNGARIÆ BOHEMIÆ.
ARCHIDVX AVSTRIÆ
DVX BVRGVNDIÆ. STIRIÆ.
CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, SILESIÆ,
PRINCEPS SVEVIÆ,
Marchio Morauiæ, Lusatia, Burgouia,
LANDGRAVIS ALSATIÆ,
COMES HAVSPVRG. TYROLIS &c.



Nitia huius ferrei seculi aurea fuere reuocante
MATTHIAE iustitiâ Imperatrice Astræam, &
Charites è Cœlo, omniumq; virtutum nobis-
lē fugitiuam familiam, & terræ redonante,
quæ lœtata est reuerso.

Numine quod primi post secula perdidit auri.
Media, tu MARIA ANNA, ac finem bea-
bis, cuius auspicatissimo nomine inaugurate
cum Astræâ Charites, virtutesq; opines regna-
bunt. Interim iure omnes laudent Cæsarem
iustitiæ amatorem, cui tunc maximè landes
debentur, cùm de propriâ iustitiæ causâ agitur. Et certe cum Orbis ter-
rarum habenis, Sceptroq; Germanico tamen rectas sustinuit recti lances, vt
nec potuerit aura populorum, res omnium leuissima conitantem dexte-

*Cl. de m.
conf.*

*Iustitia
laus Mat-
thiae Cæs.
potissimum
attributa.*

ram extollere, nec deprimere aurum omnium grauissimum, cum nihil apud ipsum in pretio esset, honesto collatum.

1556.
24. Feb.

Horoſcopus Mattheia naſcenti non tamen ex inanis Astrologorū datus.

Eā die natus est, quam magnus Patrius CAROLVS multis antē annis suis natalibus illustrarat, vt in CAROLI lucem editus videretur, & diem, ex hæreditariā Auorum gloriā, prorsus suam. Apagite Astrologi infra homines diuini, Aristocratica siderum Reipublicæ falsi, fallaceſq; præcones, periuri fortunæ institores, & in bono cœli lumine splendidè mendaces tenebriones. Illustris cælestium Scientia nihil vobis præter tenebras ingerit, noctes geminans miserè vigilatas. Nihil ē Cælo ediscitis præter illius errores, nihil contrahitis, præter illius vertiginem. Commentitia fuit illa sideralia fata, quæ in cælestium orbium voluminibus tam claris alioquin, & aureis characteribus signatis, totoq; illo splendido Diuinæ Prudentiæ cōmentario legitis. Nullū MATTHIÆ Horoscopū felicitatis statuo præter CAROLVM illius diei, quā natus est, illustriſſimum ſidus, ac fortunatissimum in Austriacā Domo. Et certè eandem, ac CAROLVS, MATTHIAS sortitus est non feliciter tantum nascendo, sed fortiter viuendo nobilem vitæ genituram, imò & immortalitatem, cum eodem aspectu virtutum, cursu gloriæ, ſplendore nominis, motu, itationeq; conſiliorum. Sed propior fuit MATTHIÆ ortus CAROLI morti, quam natalibus, intra annum, cum iam ſupra mundum, iactumq; fortune tonantis, ac fulminatricis frementis ad pedes toto vertice eſlet, & in Olympo viueret, cœlum intrantis.

Iam tunc Numen protidebat Imperio, ac Nomi ni Austriacō alterum CAROLVM, vt Heroum Austriadum propago, ſupra omnes Imperatorias familias ad Orbis terrarum felicitatem ſobolesceret, & uno auulſo alter germinaret aureus ramus in arbore Austræ Gentis florentiſſimā. Auspicato etiam aliqui inditum MATTHIÆ nomen censuerunt, ſiuè à forte Auguſti Nominis, & Imperij Occidentis, quæ ē Numinis ſinu, in quo omnes mortalium fortes versantur, in MATTHIAM laſtura erat, non ſeptem Cœli, ſed Imperij Planetis electoribus ſeptemuiris ad eius ſumma dignitatē conſpiraturis, ſiuè à Matthia Hunniade Cornino Othomānici Imperij, ac totius Orientis terrore, cui ſimillimum in bellicā laude, Turciſq; vietorijs MATTHIAM Austriacum ſuſpiciemus.

Belgio praeficur.

1577.

In ipſo ætatiſ ſtore floſ ipſe Principum ad Belgicarum Prouinciarum, in quibus Apriles amœuiffimi vernal, & Flora cum omni floreā natione regnat, euocatur, exhibitiſq; ſpectaculis magnificientiſſimo apparatu veſtuti triumphator exceptus Summus Belgij Praefectus inauguruatur. Omnia florere videbantur, cum immanis ille turbo, qui Belgicæ Reipublicæ forturnam tot annis rotauit in præcepſ, floridas ſpes euertit.

Iniuriosam toti Austriacō Nomi ni defectionem ab Hispano Rege diu pati MATTHIAS non potuit, qui virtuti, non famæ ſeruiebat, debilemq; ſciebat eſſe excuſationem, quæ accuſatione temporum nititur, & ſeculum criminatur. Iuſtitia meretrix non eſt; licet nihil præter merita respiciat, nec fert mendaces fucos, & veteratoria pigmenta politiæ ſimulationis. Iam facta fidei, quam Monarchæ ſuo deſebant, Antuerpiæ publicā abiuſatione, Orangio vbiq; Rempubliſam, quam iam ſus arbitrijs ſubhaſtata.

rat, callidis negotiationibus licitante, federati ordines per Philippum Marnixum, Comitem Aldegindium euocarant Alenconium Ducem Francorum Regis Fratrem; vnde cum Austriacus solum nomen Imperij sustineret, personatus Princeps in scenico illo Belgicæ perduellionis theatro, periculumq; esset, ne sui fabulam daret, principatu se abdicavit.

A Belgicâ Præturâ in Germaniam reuersus Ernesto Archiduce Fratre è Provinciâ abeunte Prorex Hungariae substituitur, cum Austriæ etiam administratione. Signum suu MATTHIAS constituit semper amore recti quandoquidè ars imperandi etiâ iaculandi est, & non nisi per amore recti collineat. Cum suâ venerandâ canitie, ac priscâ probitate, & publicas leges, & priuatos mores reuocauit ad auream Themidis libellam, stellantesq; Astreæ lances, omnia expendens. Mortuis legibus, è suis ipsis moribus leges nouas condere populorum poterat, germano semper candore sine fuso peregrino vñs, qui primas honesto deferret, vtilitati vix secundas. Ad innocentes has ciuiles victorias, pari gloriâ victoria prælia consequuta sunt. Primas palmas collegit in Hungaria, in qua potissimum Thracia Luna veluti in suis Euripis reciprocantium bellorum æstus alternabat. In expugnatione Nonogradensi, ac Strigonensi ita res felicitè cessit, vt nulli dubium fuerit cælestibus auspicijs geri, Deumq; exercituum Austriacis militare stipendijs, nisi velis dicere, & melius imperare militibus, Archiduce MATTHIA Dei simul, & Cæsaris Protegem agente. Alterno fœdere Principem Religio seruat, cum Religionem Princeps, nec vtiliori ratione, quām hac Deo fenerari potest. Ipsam Budam Principem Hungariae Arcem è sublimi clivi, veluti regalis solij vertice subiectæ Regioni dominantem, magna vi adortus, iam fortunæ comis manum iniecerat, occupatâ inferiore Vrbe, & magnâ ex parte victoriâ potitus, nisi pluuium cœluni inundans, tellus paludibus stagnans, & alia maleficia naturæ referre pedem coegissent, ijsdem tamen incommodis, barbarum hostem à Varadinensi Arce retrahentibus. Inde Sinanem Bassam, quem Thracius tyrannus centum barbarorum armatorum millibus præfecerat primum à Comimaronij obſidione auertit, demum ad Albam Regalem cum toto ferè exercitu euerit cumulatissimâ victoriâ, siue numerentur, siue æſtimentur hostes interfecti, nam inter multa cœforum millia ipsi purpurati supremi castrorum Præfecti in illâ pugna Murates, & Mehemetes desiderati sunt. Alba Regalis Regni caput, & inauguandorum Panniorum Regum inclyta sedes, victoriæ præmium fuit, prius ab Othomannis capta, annonâque & milite affatim munita, ac deinde trium dierum spatio ab Archiduce MATTHIA recuperata. Inter prodigia Austriacæ felicitatis non infimum locum habebit MATTHIÆ manu contractos in dies annos, & triennalem obſidionem, quæ debebatur munitissimæ Regiæ Vrbi, in triduanam migrasse. Ita in magnis rerum articulis Deus exercituum auxiliarijs prodigijs Austriacis calbris accedit. Hac vnicâ victoriâ inter cædes barbarorū gigni poterat immortalitas MATTHIÆ Archiducis nomini.

Othomannicis conatibus represis, Hungari, Bohemi, ac Daci seditionis

Prorex
Hungaria
creatur.

Bellum
Turicum
in Hun-
garia feliciter geri-
tur.

Prodigijs
loco habi-
tū, est ex-
pugnari
triduijs
tio Albæ
Regalem.

*Victoria
multiplex
Hungari-
ca Bohe-
mica Da-
ctica.*

1607.

sistum multibus rebellant. Pluribus laureis, ac triumphis Matthiam Cœlum destinarat, retulitque copiosè, bonis aibus Aquilis Austriacis vi tricibus ferè totum Septentrionem emensis. Eò felicitatis peruenit, vt Botzaianâ seditione penitus sedatâ, belli auctor læsa Cælareæ Maiestatis facinus, morte luerit, incassum donis tentatâ constantiâ Austriaci Archiducis, qui solo iusto honesti, rectique pretio venalis erat, & æquè donis, ac dolis armata manu occurrebat, & pectori loricato. Eadē gloriâ, vt esset non terrarum tantum, sed marium vîctor, iugo Danico mare Balticum liberavit, restitutâ Germanis negotiatoribus tutâ, liberâque navigatione.

1608.

*Inaugura-
tur Hun.
& Bob.
Rex.*

1610.

1612.

*Eligitur
Imperator*

*Iustitia
maximè
floruit.*

Hicce victorijs Othomannicis, Hungaricis, Bohemicis, Dacicis initia huius seculi nobilitauit MATTHIAS dgnus, & ex suo sanguine Austriae, quem trahebat in Imperioriâ Familiâ, & ex hostili, quem ene viatore extraxerat, qui Rex purpurasceret. Itaq; in Regem Hungariae Possonij, & Bohemiae Pragæ, cum summo totius Europæ plausu inaugurratus est, designatusque RVDOLPHO in solio Germaniæ successor. Ad inaugurationes regias, vt Regi darentur Hæredes consequitæ sunt nuptiæ cum ANNA Austriacâ FERDINANDI Archiducis, & ANNÆ CATHERINÆ Guglielmi Gonzagæ Mantuae Ducis filiæ nobilissima prole felicitate semper pronubâ, vbi Austriâ Austriae veluti nubente totus Austriae celebratur hymeneus. Fatis tandem cedente RVDOLPHO, cui aliquis Acris, ego, potius Prudentis cognomentum darem, MATTHIAS succedit Sanguine frater, Gemellusq; virtutibus, atq; ita pari nominis splendore, vt Austriaci Imperij Cælam visum sit iterum post CAROLVM, & FERDINANDVM habere suum Castorem, & Pollucem quorum secundus primo occumbente, brictetur, vix intato Cæsare, ne dum amissio. Ad imperium MATTHIAM iura Sanguinis, suffragatio virtutis, fraternali dignatio nominis dudum delistarant, & quidquid poterant, non tantum Septemvirum, sed omnium mortalium vota exoptare.

Ei in summis amoribus fuit inter cæteras virtutes iustitia, quam, ne imbellis esset, aduersus orthodoxe fidei hostium genus omne, zelo religionis armavit, vnde apud multos ZELATORIS nomen retulit. Etiam in cælo Astræa, cuius stellatis lancibus fit magna illa iustitia dierum, ac noctium, primum australium signorum est, vt hanc virtutem non Cæsaream tantum, & Augustam, sed Austriacam esse scias, & Austrij Fundatricem, ac Seruaticem Imperij. Hac auspice multatatus seditionam hæresim, noua semper, & impia molientem, Francofurtum, & Aquisgranum cœpit nobilissimas alioquin Cæsareæ electionis, & inaugurationis sedes, adiutus auxiliarijs copijs ALBERTI Archiducis Belgarum Principis, Operâq; illius Vrbium expugnatoris Liguris Polyorcretis Ambrosij Spimulæ nostro æuo celeberrimi, exercitus Regij in Belgico Supremi Ductoris Securis expedita cum fascibus securitas regni est: cum fugere scelesti nequeunt, scelerâ, fugiuntur. Hac hospitatrice ingentes sapè cum paruâ manu animos tulit ad magna bella, ac meditata perfecit, inter ferreos telorū imbræ interritus, quasi diuina vis, non solum MATTHIAE Scutum adamantium esset, quo illa retunderet, sed retoqueret etiam in holtes, frustratis sapè sapius sua de-

suâ destinatione iaculis, & igneis globis ante ietum suffocatis in scelere tantum cõcepto. Eam Sui venerationem ipsi Othomanno Imperatori perperit, totiq; Turcicæ nationi, vt & pax ab illis exorata, ac pacta in vicen- nium, & legationes pretiosis muneribus cumulatæ missæ, & impertratum vt multa templo in Strigoniensi Diecæsi præsertim Monachorum, & Præ- sbiterorum Societatis IESV ad Christiani ritus splendorem reuocarentur, quæ impij Mahumeticæ superstitionis Mystæ, supra Massegetarum Popas, Busiris Aras, Augiæ stabulum, ac Diomedæa præsepio conspurca- rant. Quid deinde mirum, si mutuis veluti officijs auxiliaribus, Deus Au- striacæ Domus potentiam sartam teatam seruat, vbi Austraci Donus Dei splendorem tam enixè procurant. Eadem Iustitiâ Duce nulla à donis vis illata Reipublicæ: odium, & gratia geminæ iustitiae pestes proscriptæ ab Aulâ, in qua nullius auctoritatis erant malæ artes, & soli fortæ, boniq; in pretio: præsantibus malo omne dignitates, paratae repulsa: nobilitati quidem locus, sed post virtutem datus; magnus enim ille splendor est, sed umbra virtutis. Verum Principem regni Germanici felicitatem in Cæsarî probitate constituerat, quem Iustitiâ Imperatrice cælo parere voluit. Imperatore cognito, ac si esset Iustitiae simulacrum, omne ius populi nouerant. Sola ipsius præsentia tantam incusit reuerentiam Ma- iestatis, vt firmatas iam altis radicibus rixas inter belli Duces, veluti bel- lorum surculos, statim extirparit. Ita magna Procerum, & populorum censura est Principium virtus, vbi suarum cupiditatum populum sibi pa- rere iusit; tunc enim ius tenere poterit, & apicem iuris pro dignitate, cùm Rex etiam sui cognoscitur.

Iustitiam coluit tandem MATTHIAS Imperator, quandiu Astræa, quam exulem terris redonarat, ipsum patrio cælo donaret. Ante obitum cùm intestinis tumultibus Germania aduersus Cæarem arderet, (neque enim sol unquam nubes sibi non excitat, etiam cùm serenissimus est, & innocui splendoris,) careretq; liberis, accedente consensu, magnanimisq; ac generosis suffragijs Archiducum Austriacum Fratrum MAXIMILIA- NI III. & ALBERTI VII. qui proximè ad Imperium iure sanguinis vocabantur, FERDINANDVM II. Pium Patriæl CAROLI II. Archiducis filium, & FERDINANDI Cæsarî Nepotem, Autum tumum Augustissima Heroina omnium virtutum titulis clarissimum, inaugura- tum Hungarico Regno, ac Bohemico, Imperij successorem designauit, adoptante bono Nerua aliquid etiam melius optimo Traiano ad eternam seriem maximorum FERDINANDORVM, ac totius Orthodoxi orbis felicitatem. Vos verò MAXIMILIANE, & ALBERTE alterum in Au- striaco cælo gemellarum Astrorum Par, calcatis Imperij fascibus in Heræs asurgentes, regnabitis in fastis Imperatricis Familia magnanime huius, angustæ, & heroica modeitiae gloriâ, ætumq; ipsum immor tali facinoris famâ coronabitis, nunquam maiori iure in possessionem Imperij missi, quâm cuim illud generose calcatis. De tot prouincijs triumphatis, quot cessistis, neq; enim minus triumphalis est magnanimitas, quâm fortitudo, cùm hæc inter cæforum hostium cadavera currum agat, illa inter grata pe- catoria, & amica capita. Vos certè.

Obitus
1619.
13. Kal.
Apr-

Maximi-
lianii, &
Alb. Cæ-
fratrum
heroica-
virtus,

Virg. 2;
Geor.

Claud. in
Epi. Pall.
G. Csi.

Non populi fasces, non purpura Regum
flexit
imo veriore cantu
nunc purpura primū
Inferior virtute fuit, meruitq; repulsam
Obvia Maestas, doluit fortuna minorem
Se confessā viris, magnos delata potestas
Maiores contempta probat.

Dignus erat præferri ab his Herōibus summae rei FERDINANDVS Pius Maximus, digniq; erant MAXIMILIANVS, & ALBERTVS ex tanto prodigo virtutis, vt FERDINANDVS Pius maximus eorum locum impleret, quem Cælum fauentissimum ab vrnâ sua ad Christiani nominis, fideiq; Diuinæ aduersus veteratorios nouatores conseruationem, amplificationem, ac splendorem dudum destinarat.



MAT-

M A T T H I A S

Symbolum.

Quem historia non potest, Symbolum describat,
 Et quia Heroem Austriacum,
 Primum inter signa australia euocetur e Cælo
 Symbolicum irradians terris astrum.
 In Astræa suis patrijs stellis coronata
 Vibrante dextera fulminatorem ensem
 Læua pensilem mundum stellantibus lancibus librante
 M A T T H I A S Imperatorem habes,
 Constantissimæ religionis, consultissimæ sapientiæ,
 Potentissimæ felicitatis.
 Nobili corpori non degener anima
 Addetur in lemma.
 Ius, non Vis.
 Ita omnia infra se despexit,
 Ut nihil supra se præter Cælum suspiceret.
 Olympum dixisses montium Regem
 Serenissimo inter astra coronaria capite cælo confinem.
 Infra eius stelligerum verticem calcata pedibus,
 Fulminatrix turbinum Mæter, fortuna detonuit.
 Amasius æternitatis
 Nullo alio quam fiderum auro immortali redimitur.
 Ita deinde læua libratum mundum rexit,
 Ut dextera vibrandum ensem gereret,
 Unde sciremus Imperatricem in M A T T H I A Iustitiam
 Et fuisse Patronam virtutum,
 Et scelerum vindicem.
 Ad virtutem attraxit aureo mundo,
 Retraxit à sceleribus ferreo ense.
 Nisi supra magnorum præmiorum, & panarum polos staret,
 Nullum

144

Nullum stabile foret in sua perpetua vertigine politicum Cælū.
Fouent pietatem, quæ fauent:
Docent impios, quæ nocent.
Apud iustum Principem æqua lance,
Nec misera Virtus esse debet, nec vitium felix.
Illa æquitate orbis terrarum regendus est,
Qua in Cælo fit iustitia dierum, & noctium.
Hoc Horoscopo nascuntur Austriaci Cæsares:
Hic è Cælo dominator, rerū Dominis Imperatoribus, imperat.
Non tamen cum MATTHIA Astræa in Cælū reuolauit
Nostras est, quousq; imperarint terrarum Orbi iustissimi
FERDINANDI.

SYNOPSIS GENEALOGICA A M A T T H I A AD F E R D I N A N D U M II. P I V M.

MAXIMILIANVS Cæsar lóga liberorum nobili linea videbatur æuum, in quod Austrium stemma tendebat sibi polliceri, sed Cælo FERDINANDÆ aurea sæcula ordiente, in MATTHIA Cælare filio centrum inuenit, vnde nec suæ gentilitati tanta sobole satis feneratus est. Orbitas tamen MATTHIÆ Orbi terrarum secunda felicitatis fuit. Ad CAROLI II. Archiducis ultimi filiorum FERDINANDI I. Cæsaris prolem rerū summa deuoluitur FERDINANDVM II. Pium maximum RODVLPHI II. & MATTHIÆ ultimorum Cæsarum filiorum MAXIMILIANI II. Patrualem, FERDINANDI I. CAROLI V. Maximi Fratris, Nepotem, Abnepotem MAXIMILIANI I. Trinepotem FRIDERICI IV. Pacifici, & quod Principem apud me locum habet, omnibusque eminet FERDINANDI III. inquietissimi Cæsaris Patre, & MARIÆ ANNÆ, ac FERDINANDI gemella Hispaniæ, & Germaniæ Spei, terum Dominæ, ac toto Orthodoxo Orbi auspiciatissimæ, Auum. Augustorum CAROLI Archiducis liberorum syllabus hic eit.

FERDINANDVS V.

ANNA VIII.

MARIA CHRISTIERNA VI.

CATHARINA RENATA.

ELISABETHA XII.

FERDINANDVS inter Austrios Princ. VI. inter Cæsares II. Pius maximus

CAROLVS V.

GRÆGORIA MAXIMILIANA.

ELEONORA V.

MAXI-

M A X I M I L I A N V S V.

M A R G A R I T A V I I .

L E O P O L D V S V .

M A R I A M A G D A L E N A I .

C O N S T A N T I A I .

C A R O L V S V I . P O S T H V M V S .

F E R D I N A N D V S C A R O L I Archiducis natu prinaus, primitiae regis, posteritatis, & flos generis à primis annis Deo dicatus, in Coelum translatus est. M A R I A C H R I S T I E R N A Sigismundo Battoreo Dacie magni nominis, fortissimæq; prosapiæ Principi nupsit, vt omnes bellatores Heroas, quos in sua Gente non numerat, Augustis sibi cognitionibus iungeret Austriaca Domus. CATHARINAM RENATAM, ELISABETAM, GREGORIAM, MAXIMILIANAM, & ELEONORAM innocentia primæ aetatis suo iure Coelo transmisit. MAXIMILIANVS Patruo Magistro Theutonici ordinis successor designatus ab egregia spei sinu, omnibus sui desiderium relinquens, sublatus est.

M A R G A R I T A Heroidum Gemma, innocentissima cœli soboles, candore morū & sanctitate virtutum, vtriusque Austriae Domus Imperatricis in Germania, ac Regnaticis in Hispania Vnio inestimabilis, & sui sæculi, orbisque terrarum pretium, maximorum monarcharum PHILIPPI III. vxor, & PHILIPPI IV. nunc regnantis, cui orbis Austriacus, ac præsertim Insulæ amantissimæ fidei suis Reginis Provincia, ijs vocibus quibus Romanum imperium feuero Cæsari, acclamat. O Dominum æquum, & bonum, & nestoreos annos adprecatur, Mater fuit. Preciosissima hæc Reginarum Tibi M A R I A A N N A , quæ eius solium, ac maiestatem omnium virtutum implexi, multiplici nexus sanguinis iuncta, & Aui soror, & Genitricis mater & Coniugis, felicissimiis tuis nuptijs prolusit, Vrbemque hanc Principem Insulæ Austriae Dominis deuotissimam beauit, cui tu modo sponsa ver felicitatis cum omniflore gaudiorum affers, æternum datura Aprilē, cùm Mater. M A R I A M A G D A L E N A Cosmo magno Etruria Duci Ferdinandi filio conjugata mundos Medicæos Austriae cognitione mirum in modum auxit, addiditque Florentiæ florem, quo semper virere posuit. L E O P O L D V S Archidux Austriae, Dux Burgundie, Tyrolis Comes, Leopoldi I. sanguinis, & virtutum hæres fuit. Eadem fraterna benevolentia, qua ille F R I D E R I C V M III. Pulchrū Cæsarem, hic prosequutus est F E R D I N A N D V M II. Pium maximū, summa fortitudine heresi vbiq; oppugnata, ac propugnata orthodoxa fide, procurataq; religione. Heluetijs victorijs, illorū accisis rebus, qui Rhotorum montium claustra, & fauces occupauerant, omniumq; virtutum nominibus inclaruit, in serenissima prole F E R D I N A N D O C A R O L O , C A R O L O E M M A N V E L E , omnijq; alia Tyrolensi gloria quū glorioissimū daturus, & propagaturus Herou Posterioritatem. C A R O L V S Posthumus Archidux Austriae, & Episcopus Vratislaviensis M A X I M I L I A N O Patrueli Magno Theutonicorum Equitum Magistro in supra illius ordinis prefectura successor, Princeps eximiè pietatis in Deum, Cælitessq; omnes, humanarum, diuinarumque disciplinarum Scientissimus, multisque alijs titulis clarissimus maximos pro F E R D I N A N D O Cæsare Fratre, totque Imperatrice Gente labores felicissime, & victoriosissime exantlavit.

A N N A inuictissimo æque, ac victoriosissimo Heroi, hæresum domitori, & Orthodoxi nominis quod Sueciæ regno prætulit, propugnatori Sigismundo III. nupsit Sueciæ, ac Poloniæ Regi. Huius in thoro, folioque successit indulgente id Summo Pontifice Paulo V. C O N S T A N T I A . Vtraque suu nomen impleuit, illa gratiosissimis Polonico Regno virtutibus, hec earundem virtutum constantia singulari, nec prima secundam felicitate prolijs superauit. Altera Vladislai, altera Casimiri potentissimi Sueciæ, & Poloniæ Regis, & magni Lithuaniae Ducis Mater fuit, totiusque serenissime posteritatis propagatrix.

Vladislao pietatis, & fortitudinis titulis inter huius sæculi coronatos auro, lauroque Heroes præclarissimo, sicuti olim M A T T H I A S R V D O L P H O in Autriaco imperio, ita nunc C A S I M I R V S in Polonico solio successit pari prorsus splendore Castori Pollux, atque hunc annum Poloniæ auspiciatis sumum sua inauguratione initiauit ad omnem felicitatem, maioremque quam regio Nominis adscripterit, explicuit per valuisse regna serenitatem, quibus barbaricq;

incursiones miserum in modum vastitatem minabantur. Non acclamare non possum inter Orbis terrarum plausus magno tuo nomini glorioſiſimę Sarmatię, & aliarum maximarum Prouinciarum Rex, CASIMIRE. Certe ipsum CASIMIRI nomen inter Polonicorum Regum nomina æque sanctissimum, ac fortissimum semper fuit Auspex felicitatis, victoriarum parens, pietatis tessera, tati obses, barbarię fulmen, lauris, palmisque coronatum. Iam Sagittarij Samothraces, iam tota Massagerarū trecentarū chiliadū bellatrix, & errabunda immēla colluuius, iam infauſta illa, & formidanda Romano Imperio nomina Gere, ac Geloni solo CASIMIRI triumphali nomine, ac fama debellati, pacem exposcent, accipiunt leges, arma abiciunt. Iam Prædabundum furentium populorum rusticatum agmen, cui euerſis Vrbibus, Arcibusque pluribus expugnatis, Dominum ferè regnum procubuerat, inimicens Sarmaſię iugulo, & capiti insultans, inglorium sterit, magnique Borifthenis ripas & Insulas, Euxina litora, stagnantem ignavis aquis Mæotidem, in hospitalem Caucasum & duratum longeuis niuibus Tanaim meditatur. Iam impetus pelliticarum nationum, quas toto tuo Coelo, Vrſisque trucibus armat Septentrio, in ipso victoriarum cursu ſuſlaminatur. Iam tibi plaudentes CASIMIRE potentissime ipſi glaciales Boreę in tuis laudibus ardent: iam tuas victorias Varrha, & Viſtula ſecondo curſu, & omnia Polonica flumina immurmurant: iam tuis triumphis Lithuanica, Samogitia, Moſſouia, Volhinica, Podolica, Liuonica, Pruthenica, atq[ue] vniuersa Lechitorum Regna lauros progerminant: dum interim Orbis terrarum tibi Solium, ad quod præter omnium ſuffragia virtutum, cum Iagellonicis fascibus, Austriae vicitribus Aquilis inuenitus conuolabas, gratulatur. Quid verò aliud expectari poterat Austriae virtute, Iagellonica generositate, Suecica magnaimitate, Battoreæ fortitudine in unum caput, nomenque conspirantibus? Salve igitur CASIMIRE, potentia, pietate, ac felicitate Ter-Maxime:

*Cf. de
Hon.*

Accipice fortunam Generis, diadema resumē.

Quod tribuas Natis.

Tu verò Polonia plade, quæ ſapientiſſima ſuffragatrix in Magnis Comitijs CASIMIRVM omnium mortalium votis expetitum, vna tuorum omnium voce in ſublimi rerum vertice collocasti, & quando iam habet Nominis, adprecare tuo Regi glorioſiſimam Sereniffimam Posteritatis immortalitatem, & hanc quoque impone omnium ſæculorum coronam.



IMPE-

